

Clara domus lacrymas fundit, prorsusque stupefcit,  
Nec trifti cellans imbre madere genas.  
Ast quid nunc fletus? non triftia fata retardant.  
Hoc factum infectum lacryma nulla facit.  
Quid querimur NOSTRUM? nobis quid flemus ademptum?  
Non obiit, Magni vivit in arcu DEI.  
O TE felicem! quæ jam TIBI gaudia summa,  
CARPZOVI, aſtriferi carpis in axe Poli!

*Debita obſervantiæ ergo appoſ.*

Johannes Daniel Moriß / Alumni.  
Regens.

CARPZOVIUS vixiſſe ſatis ſibi viſus in orbe,  
Functusque officii ritè labore ſui,  
Corporis exuvias deponit, & alta perennis  
Mox meliore ſui parte per aſtra volat.  
Tempeſtivus erat Cælo! mortuus & annis  
Tempore non poterat commodiore mori.  
Commodiore ſibi: Sed nos quæ fata manebunt?  
Quos furor heu! Satanae, diraque bella premunt.  
Cum moritur SAMUEL, Jovæ BENEDICTIO ceſſat,  
Fallitur augurio ſpes bona quæque ſuo!  
Abſit triſte omen! Sed TU, SAMUELE recepſiſ  
Aſtris, nobiſcum permane o IMMANUEL!  
CARPZOVIUS, ſimul gnati ſerique nepotes,  
Ingentis vivant amula corde PATRIS!  
Tuque mihi imprimis totis dilectè medullis,  
Quem Cruciani nunc templa Sionis habent,  
Delicium PATRIS, genuine ac indolis hæres,  
TU, precor, ut vivas, TU referasque PATREM!  
Quæque Tuo inſiſſit duriffima vulnera cordi,  
Alte inſixa ſimul ſpicula dextra levet!

*Ita dolet, præcatur, ominatur Imq;*

M. Godofr. Laurentii, Reſt. Palæo.  
Dreſd:

Pallida mors, cheu! noſtrum proſtravit Epoptam;  
Qui dulces vitæ docuit nos carpere fruſtus.  
(Ipfius ut nomen ſonuit, monſtravit & omen.)  
Huncce Virum flemus, queriturque Eccleſia tota.  
Quanta mala impendent nobis, quibus ipſus ablatuſ  
Parce gregi, dignum fuſo quem ſanguine cenſes,  
Chriſte, in nos iram juſtam profundere noli!  
Carpzoviog, Tuo, ſervo fidoque pioque  
Æterna fruſtus concedas carpere vita,  
Sancta inter ſanctos quoque molliter oſſa quieſcant!  
Quod ſuperest, curet Relictos ſummus Iova  
Et ſucceſſorem ſimilem det morte peremto!

*Theologi ſummi in honorem optime  
de Eccleſia Chriſti meriti ſcribebat  
lugens*

Abrahamus Hanſche / Rector  
Annzanus.